



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

III. Quod docendus sit populus, non sequendus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

fastigium tam vile credere, vt hoc his, qui non Deo, sed sæculo militauerint, æstiment nos posse conferre, non solum male de suis clericis (in quorum contemptum hoc faciunt) iudicantes, sed de nobis pessime, quos credunt hoc posse facere, sentientes. Quod nunquam auderent, si non quorundam illic his consentiens sententia conueneret. Ita nihil, quæ frequentius sunt decreta, proficiunt, vt hoc, quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit, ignoretur. Quid proderit, per singula clericos stipendia militasse, & omnem egisse in dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex laicis requirantur? Qui vacantes sæculo, & omnem ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu præproprio in alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere, & in aliud vitæ genus, calcata reuerentia ecclesiasticæ disciplinæ, transire. Talibus itaque, fratres carissimi, qui iuris nostri, id est, Canonum gubernacula custodimus, necesse est obuiemus: hisque fraternitatem vestram epistolis commonemus, ne quis laicum ad ordinem clericatus admittat & sinat fieri, vnde & illum decipiat, & sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat.

Dist. 61.
Quid proderit per.

III.

Docendus est populus, non sequendus. Nosque (si nesciunt) eos, quid liceat, quidve non liceat, commovere, non his consensum præbere, debemus. Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram apostolicæ sedis minime defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est, per seueritatem congruentem regulis vindicemus. Per totas ergo hoc, quæ propriis rectoribus carent, ecclesias volumus innotescat, vt nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus illudat. Data XII. Kalendas Augusti, Florentio & Dionysio viris clarissimis consulibus.

Dist. 61.
Docendus est populus.